

civitate Dei <sup>5)</sup>, quia in talibus statibus non est necessarius principatus temporalis, sed intelligitur obtemperatio secundum statum presentis vite, de quo dicit apostolus: nunc autem manent fides spes caritas tria hec <sup>6)</sup>, quia fides in futurum non permanebit.

Tertius terminus est monarcha. Per monarcham intelligitur unus princeps universalis omnium, quia monarcha dicitur a monade, non quidem omnium universaliter et simpliciter, quia sic solus Deus habet principatum monarchicum <sup>a)</sup>, sicut docet beatus Dionisius in libro de divinis nominibus <sup>7)</sup>, sed omnium que pertinent ad statum huius corporalis vite in toto orbe terrarum.

Quartus terminus est temporalia. Per temporalia non intelliguntur omnia, que tempore mesurantur, quia cum motus corporum supercelestium <sup>b)</sup> mesurentur tempore, constat quod isti motus non subiacent <sup>c)</sup> alicui principi temporali. Set per temporalia hic intelliguntur bona fortune et universaliter omnia, circa que versatur iusticia distributiva vel commutativa hominum, quia in talibus contingit <sup>d)</sup> temporaliter principari.

(2) Circa rerum investigationem videtur, quod ista questio unum supponat et aliud querat. Illud quod videtur supponere est quod sit dare unum monarcham in rebus temporalibus, et illud <sup>e)</sup> quod queritur est utrum ille monarcha sit ita <sup>f)</sup> in omnibus temporalibus prelatu<sup>s</sup> <sup>g)</sup>, quod nulli sit temporaliter subiectus. Et ideo primo negociandum est circa suppositionem et <sup>h)</sup> secundo circa quesitum.

(a) Quantum ad suppositionem, scilicet quod in universo secundum obtemperantiam sui <sup>i)</sup> dispositionem est dare unum monarcham respectu rerum temporalium, adducitur prima ratio, quia supponitur in philosophia prima, quod <sup>j)</sup> entia que sunt in universo nolunt male disponi, pro eo quod omnia bonum desiderant, et ideo inferitur ibi, quod in tota natura est in universo unus princeps <sup>8)</sup>, et ista illatio non tenet nisi in virtute huius regule, quod melior est dispositio cuiuslibet multitudinis habentis

---

a) monarchicus P 2.      b) supracel. P 1.      c) subicent P 1.      d) contingit P 1.      e) fehlt P 2.      f) fehlt P 1.      g) dahinter sic P 1.  
h) fehlt P 2.      i) fehlt P 2.      j) fehlt P 1.

<sup>5)</sup> *Gedacht ist wohl an De civ. 20, 16; vgl. dort ed. Dombart 2, 443: ut scilicet mundus in melius innovatus apte adcommo<sup>d</sup>etur hominibus etiam carne in melius innovatis. Dazu auch 20, 30, Dombart 2, 486: mundi conflagrationem eiusdemque renovationem.*

<sup>6)</sup> 1. Cor. 13, 13.

<sup>7)</sup> Kap. 8, Migne PG. 3, 890 ff.

<sup>8)</sup> Aristoteles, *Metaph. 11, 10, 1076 a. Dazu den Kommentar des Thomas (unten S. 122 Anm. 12) S. 745 Nr. 2662 u. 2663.*